SENTENTIA

Sanctissimi Domini Nostri

CLEMENTIS PAPÆ XII.

LATA, ET PUBLICATA

Die 9. mensis Maji anni 1733.

IN CAUSA

Cardinalis NICOLAI COSCIA

Qua idem Cardinalis declaratur Reus, & pœnis obnoxius pro Concussionibus, = Extorsionibus, = Falsitatibus rescriptorum per abusum Ministerii, quod gerebat à secretis supplicum Libellorum = Violatione fiduciæ, quam san. mem. Benedictus XIII. in ipso collocaverat, pecuniarum, & divitiarum cupiditate commissis, quas posthabitis Apostolicis Constitutionibus super Datis, & promissis pro gratia, vel Justitia apud Sedem Apostolicam obtinenda, congessit = Necnon ingrati, & irreverentis animi vitio ergà dictum Summum Pontificem = multiplici inobedientia contra mandata SANCTISSIMI = Iniuriis, & maledictis publicè evulgatis in odium Justitiæ in eum exercitæ = Aliisque attentatis, & gestis in læsionem Jurisdictionis, & potestatis Ecclesiasticæ.

Proindèque damnatur pœna relegationis per decennium in Arce superiori Castri Sancti Angeli, & incursus de-

claratur in Excommunicationem Majorem in antedictis Constitutionibus, ac Sacris Canonibus, Literisque Inhibitorialibus, & Executorialibus contra ipsum expeditis respectivè contentam, & ad restituenda quæcumque contrà præscriptum earundem Constitutionum indebitè percepta in Pauperum eleemosynas distribuenda, pœnaque ducatorum centummillium monetæ Regni prò aliis illicitis lucris mulctatur in usus pios erogandorum, confirmatur suspensio jam illi injuncta ab exercenda Spirituali, & Temporali Jurisdictione Abbatiarum S. Sophiæ, & S. Marci in Lamis, firmis manentibus illarum Administratoribus à Sanctissimo deputatis, salvis aliis providentiæ remediis à Sanctitate Sua in posterùm adhibendis.

Et denique, etiam de potestatis plenitudine, ex causa commissorum Criminum præfatus Cardinalis ab utraque voce, activa, & passiva prò electione Romani Pontificis suspenditur per idem decennium, qua suspensione durante decernitur evocari non debere, nec posse ad Conclave, neque admitti, ita quod, si aliter fieri contingeret, Electio, interveniente illius Suffragio, sit ipso Jure nulla, cum derogationibus necessariis, & opportunis. Salvis, & in suo robore manentibus pœnis executis prò discessu à Statu Ecclesiastico, & non reditu ad Curiam Romanam intra primum semestre.

ROMÆ, MDCCXXXIII.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

CLEMENS PAPA XII.

1 UT primùm ad Apostolatus Apicem, meritis nostris licèt imparibus evecti, in Supremo Justitiæ Throno fuimus, favente Domino, constituti, in mentem revocavimus ea, quæ, cum Cardinalatus honore fungebamur, ex plurimis gravium, ac fide dignorum Virorum relationibus, ipsâque publica famæ voce deferente, & in dies incalescente Nobis innotuerant, nonnullos videlicet impudentèr, & sanè iniquè, quinimò injuriosè adeo se gessisse, ut in rerum gerendarum negociis, tùm gratiam, cùm Justitiam respicientibus, quæ omni, qua decet integritate, in Romana Curia peraguntur, piam, sanctamque felicis recordationis Benedicti Tertiidecimi Prædecessoris nostri mentem falsis suasionibus involvere, ejusque rectam prospiciendi, singulisque Jus, & Justitiam reddendi intentionem subdolis artibus circumvenire, bonosque illius rectitudinis fructus invertere satègerint; Propterea sollicitudinis divinitùs Nobis demandatæ debitum agnoscentes, graves adeò, atrocesque injurias rectitudini, & integritati memorati Prædecessoris nostri, ut præmittitur, illatas, justitia mediante, persequi, nostræque Almæ Urbis, Romanæque Curiæ existimationi prospicere cupientes, nè potissimùm Inculpabilium innocentiæ, culpa Nocentium perperàm, & injustè tribueretur, in eos omnes, qui de prædictis excessibus, criminibus, & delictis culpabiles repertos fuisse contigisset, animadvertendum omninò esse, de consilio quamplurium S. R. E. Cardinalium duximus statuendum, particularemque Congregationem inferiùs memorandorum constituimus, & deputavimus, collatis eidem Congregationi, ejusque Cardinalibus necessariis, & opportunis facultatibus per nostram Cedulam Motus proprii, & speciali Chirographo signatis die 8. Augusti anni 1730. Non defuerunt proindè qui apud Nos, dictamque Congregationem nonnullos de hujusmodi delictis postularunt, quibus delatis Reis, præviis legalibus Informationibus, criminum objectorum veritate comperta, meritæ pœnæ; Justitia exigente,

inflictæ fuerunt. Illud autem, præcæteris, cum processus criminales, auctoritate nostra instruerentur, in lucem legitimè prodiit, quod jampridem, fama publica deferente, perlatum ad Nos fuerat, videlicet Cardinalem Nicolaum Coscia quamplurium indicatorum, aliorumque inferiùs specificè, ac in individuò exprimendorum criminum labem contraxisse, eo præsertìm tempore, quo, in ipso Pontificatus initio, honorifico secreti Cubicularii munere fruebatur apud præfatum Prædecessorem nostrum, eique ad Archiepiscopalem dignitatem Trajanopolitanam evectus, à secretis supplicum libellorum officio addictus famulatum impendebat, tùm etiam, cùm prorogato sibi ejusdem officii exercitio post ascensum ad eminentem Cardinalitiam dignitatem, idem ministerium exercebat. Quibus, non sine gravi animi nostri mærore perspectis, mentis nostræ aciem ad ea quoque direximus, quæ palàm contra eundem Cardiualem ab eo Pontificatus tempore in hac Romana nostra Curia, & extrà eam evulgata fuerunt, quæque eàdem fama deferente, per diversa etiam extera loca adhùc resonabant. Hac itaque gravi, publica, atque notoria illius diffamatione, legalibus quoque probationibus comprobata, & ab antiquo tempore Beneventi,& per ejus Diœcesim vigente, adacti, seù veriùs vehementèr impulsi, nè de omissis Deo rationem dicere teneremur, Processus canonicè inceptos prosequendi, ulterioresque Informationes directè, & principalitèr contra eundem Cardinalem assumendi dictæ Congregationi deputatæ in commissis dedimus.

2 Cum igitur in executionem nostræ Apostolicæ delegationis Officiales ad id specialitèr electi Processuum fabricationi incumberent, præfatus Cardinalis supplex apùd Nos institit pro permissu Neapolim,& ad Regnum Neapolitanum se conferendi, qua tamen exoptata licentia immeritò petita, meritò autem à Nobis denegata, permissu tamen obtento se conferendi,intraEcclesiasticum Statum,ad loca prò sui placito eligenda, ab ulterioribus destitit instantiis, moramque suam in hac Urbe nostra ulteriùs perduxit. Intereà temporis dictus Cardinalis, etsi conscius de sua obligatione, quam præventivè agnoverat, licentiam à Nobis impetrandi pro egressu habendo ab Ecclesiastico Statu, lege præceptiua Constitutionis, quæ incipit = *Cum juxtà* = Innocentii X. paritèr Prædecessoris nostri providè sic statuente, & altera eidem Cardinali per Nos specialitèr imposita parifòrmitèr decernente, cùm denegando permissum ad Regnum Neapolitanum

tanum se conferendi, limites præscripsimus Ecclesiastici Status, quos prætgrire nequiret, inobediens, & contemptor Pontificiorum Mandatorum esse elègit, ut suæ voluntatis imperium sequeretur, & institutum à Nobis de eo judicium eluderet; Die namque 31. Martii anni 1731. ab hac Urbe nostra clàm nocturno tempore aufugit, egressusque sequenti die prima Aprilis ab Ecclesiastico Statu Neapolim adivit, ubi per annum ferè moram traxit, quò ad usque, reditus itinere assumpto, ad Civitatem nostram Terracinensem die prima mensis Aprilis proximè præteriti anni 1732. pervenit, successivè ad Romanam Curiam redivit, & in hoc Monasterio S. Praxedis sub libera nostra dispositione die 13. ejusdem mensis Hospitium sibi delègit, nostroque pœnali præcepto fuit successivè in eodem loco detentus.

3 Pretèr hujusmodi commissum crimen fugæ à Statu Ecclesiastico in contemptum nostrum, nostrorumque Mandatorum, ùt præmissum est, alia, & gravia quidem delicta, & signatim illud inobedientiæ, cujus vinculo tanquam Cardinalis arctiùs erga Nos obstringitur, occasione memoratæ absentiæ à Curia temerè perpetravit, quibus obedientiam prædictam Nobis, & Romanis Pontificibus pro tempore existentibus dèbitam, & reverentiam jurejurando promissam violavit. Posthabitis namque Literarum executorialium, & inhibitorialium præfinitionibus, earumque præceptis, quibus Reverendissimi Cardinales nostri delegati ad ea processerant, quæ Cedulis nostris illis commissa fuerant, & illa signatim inhibendi dicto Cardinali Coscia, nè sub excommunicationis majoris latæ Sententiæ, aliisque temporalibus pœnis, etiam gravibus arbitrio nostro infligendis, molestias quascumque, tùm judiciales, cùm extrajudiciales inferret Conductoribus, vel aliis debitòribus reddituum, seù fructuum Beneficiorum Ecclesiasticorum, sub sequestro de mandato nostro apposito existentium, eosque exigere nullo modo præsumeret, nevè jurisdictionem spiritualem, & temporalem dictis Beneficiis, & Abatiis conjunctam, à quarum usu eundem suspendimus, suspensumque denunciavimus, de cæterò per se, vel per alium exercere auderet, plura, & gravissima contra Canonum Statuta, Pontificiarumque Constitutionum præscripta, & in præallegatis Literis vetita, audactèr, & scandalosè in contemptum nostrum, nostræque Jurisdictionis, & Ecclesiasticæ Potestatis attentare non formidavit, & specialitèr vexando, molestiasque inferendo Conductoribus reddituum Abatiæ S. Marci in Lamis, nonnullasque summas

exigendo, aliaque, etiam graviora committendo, & perpetrando, quæ circa præmissa publicis documentis in Processu Causæ comprobata leguntur. Perspicuum autèm fuit in conspectu Populorum illud damnatæ inobedientiæ crimen, in quod idem Cardinalis incidit, & per annum in eo insordescere voluit, permanens in pervicacia sua sistendi in Civitate Neapolis, nèc redeundi, ùt tenebatur, ad hanc nostram Curiam, satagens Nobis, præceptisque nostris publicè repugnare, subjectionemque debitam excutere. Ad hæc autem mala malis adjiciens, à debito nobis reverentiæ cultu jurejurando promissæ recedere non erubuit, ex quò eò audaciæ, & temeritatis devènit, ùt jussiones, resolutionesque nostras, nostrorumque Delegatorum, quæ à mandatis nostris processerant, tanquam injustas, & violentas, sub specie, & colore defensionis proclamare, maledictis prælo impressis, publicèque evulgatis insectari, impudentèr præsumpsit, eo fine, ùt illis, quæ contra ipsum canonicè acta usque tunc fuerant, fidem integritatis, & justitiæ, quantum in se erat, detraheret, notamque injustitiæ palàm impingeret. Quibus, in sua recensita contumacia usque ad annum perducta, dolosè commissis, denique ad hanc nostram Curiam regressus fuit, ùt prænarravimus; Agnoscentes proindè officium nostrum, ut debitum justitiæ, quo obstringimur, persolveremus, ulteriùs criminale judicium contra dictum Cardinalem prosequendum esse duximus. Hinc Processibus completis, examinibus Judicialibus cum assistentia nonnullorum Reverendissimorum Cardinalium dictum Inquisitum Cardinalem Coscia subiici, & inter Reos constitui, Cedula nostra Motus proprii die tertia Junii proximè præteriti anni 1732. decrevimus, & demandavimus. Completis denique dictis examinibus, in quibus plures præfati Cardinalis confessiones prodierunt, clariùs, & firmiùs Jura Fiscalia in actis probata constiterunt.

4 Nos propterea præmissis omnibus, & singulis rectè intellectis, cùm ab initio ea, quæ juri, & rationi consona esse agnovissemus, ad actum perducere de consilio fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium constitueramus, Congregationi per nos deputatæ die 8. Augusti anni 1730. Reverendissimorum Cardinalium Ludovici Pico, Josephi Renati Imperialis, Petri Marcellini Corradini, Leandri de Porzia, & Antonii Bancherii, quibus mòx adjunximus Reverendissimum Cardinalem Nereum Corsinum nostrum ex fratre Nepotem, alios quatuor Cardinales, qui de mandato nostro

exa-

examinibus, & constitutis prædictis interfuerunt per Cedulam similis Motus proprii die 30. Septembris proximè præteriti signatam adjecimus, videlicèt Reverendissimos Cardinales Franciscum Barberini, Antonium Felicem Zondodari, Curtium Origo, & Laurentium de Alteriis, ùt ex omni eorum Collegii Ordine habitis Consultoribus, ipsorum Vota in hujusmodi criminali Causa exquireremus, & subindè quid in Domino decernendum, Sententia nostra firmare valeremus.

5 Singulis Processibus completis, & in eis contentis in Congregatione præfatorum Reverendissimorum Cardinalium plenè relatis, de eorundem consilio, quampluribus delictis in eisdem Processibus deductis, pro citiori Causæ expeditione intermissis, supèr aliis decrevimus, prævia eorundem Processuum publicatione, assignandum præfato Cardinali Coscia terminum, bis etiàm repetendum decem dierum pro quolibet ad dicendum contra propriam confessionem, suasque respectivè faciendas defensiones, ùt illius in facto exhibenda, si quæ haberet, documenta admitteremus, & jura defensiva alleganda æquis auribus acciperemus. Cùm hæc executioni demandarentur præfatus Cardinalis supplici Libello apud Nos institit, ùt, amoto impedimento decretorum Reformationis Prædecessoris nostri felicis recordationis Pauli Papæ Quinti, ac nostræ, in illorum sequelam, & confirmationem emanatæ, concederemus, ùt in suum Advocatum, & defensorem Causæ eligeret, & constitueret Joannem Philippum Toppi in hac Romana nostra Curia Judicem criminalibus Cameralibus Causis præpositum, quibus supplicationibus benignè statìm indulsimus, quinimò dicti Cardinalis desiderio etiàm annuentes, exterum Advocatum in adjutorem, & adjunctum assumendi, pari benignitate nostra, facultatem concessimus. Statìm autèm palàm se exhibuerunt oculis hujus Curiæ Romanæ artificia, quibus idem Cardinalis Coscia nitebatur cognitioni Causæ, & decretorio judicio moram iniicere. Hinc Nos nonnullis vanis, & futilibus exceptionibus eo intuitu in medium adductis pænitùs rejectis, cùm quintus ferè mensis præteritus esset, ex quò publicato dicto Cardinali Processu, paribus prætextibus satis per nos cognitis, adhùc detrectabat ad vlteriora procedere, & nondùm aliqua Jura sua, seù defensionis documenta, prætèr aliquot Juris allegationes coram Nobis exhibitas, produxerat, de consilio dictorum Cardinalium, eorumque Congregationis per Nos deputatæ, illum monuimus, & res-

pectivè eidem injunximus die 27. Februarii proximè præteriti, ut ad excidendas objectas moras, & dilatorias exceptiones variis modis úsque tùnc propositas, & forsàn in futurum proponendas, intrà alios triginta dies, quos pro quarto, ultimo, & superabundanti termino Illi statuimus, & assignavimus, deberet jura quæcumque, si quæ haberet, & in facto documenta ad propriam defensionem exhibenda, cum effectu exhibere, atque producere coràm dicta Congregatione, ad hoc, ùt relatione de eisdem Nobis facta, omnibus, & singulis in Causa, & Causis hujusmodi cumulatis, atque deductis, maturè per nos perpensis, & consideratis ad Causæ, & Causarum prædictarum definitionem, justitia mediante, procedere valeremus, & quatenùs intrà dictum statutum terminum triginta dierum suas non exhibuisset, seù produxisset defensiones, nos, neglectu, & contumacia hujusmodi in nihilò obstantibus, causam ad ultimum finem, prout juris esset perducturos. Utque satiùs consultum esset defensionibus pro eodem Cardinali adstruendis, excitari mandavimus, proùt fuit excitatum, officium dicti Advocati Toppi, ut obligationi assumpti per eum patrocinii, intrà præfixum triginta dierum terminum satisfecisset, omnibus, & singulis pro Causæ defensione necessariis, & opportunis eidem Cardinali collatis, & communicatis, quemadmodùm dè præterito ità se gessisse cum eodem suo Principali præfatus Advocatus declaravit.

6 Hisce sequutis, & ex actis Causæ resultantibus, concessis interim ex benignitate nostra alterius mensis indugiis, plures exhibitæ fuerunt Juris defensiones pro Inquisito Cardinali Coscia in manibus præfati Reverendissimi Cardinalis Secretarii Status, quibus, & aliis nobis, ùt præmissum est, præventivè paritèr exhibitis, singulis de dicta Congregatione datis, eorumque Judicio subjectis, mandavimus, ùt, coacta Congregatione, omnibus examinatis, illius sensus, & vota nobis exponerentur. Proposita igitùr diebus 27., & 28. Aprilis proximè præteriti, relataque Causa in Congregatione præfata Reverendissimorum decem Cardinalium, interessentibus quoque Romanæ Curiæ Prælatis à Nobis deputatis Dominico Cæsare Florello, & Ludovico de Valentibus, necnon Nicolao Jacobatio, in eàque omnibus, & singulis ex Processibus deductis, & ad defensam, ac exculpationem præfati Cardinalis allegatis plenè, & maturè perpensis; atque discussis, omniumque suffragiis tùnc prolatis deindè Nobis plenè expositis, quid definitivè in Domino statuere deberemus,

mus, Nobis, nostroque Judicio, præviis necessariis animadversionibus deliberandum reservavimus.

7 In hunc igitur finem coacta hodierna die eâdem Congregatione coram Nobis pro Tribunali in Solio Justitiæ sedentibus, & solum Deum præ oculis habentibus, per hanc nostram definitivam Sententiam, quam INVOCATO OMNIPOTENTIS DEI AUXILIO, *ut de ejus vultu judicium nostrum prodeat*, auditis, ut præmittitur, atque consideratis votis venerabilium fratrum nostrorum Francisci Barberini Episcopi Hostiensis, & Veliternensis, Ludovici Pico Episcopi Albanensis, necnon dilectorum filiorum nostrorum Josephi Renati Imperialis Tituli Sancti Laurentii in Lucina, Antonii Felicis Zondadari Tituli Sanctæ Praxedis, Petri Marcellini Corradini Tituli Sanctæ Mariæ Transtyberim, Curtii Origo Tituli Sancti Eustachii, Leandri Porzia Tituli Sancti Calixti Presbyterorum, Laurentii de Alteriis Sanctæ Mariæ in Via lata, Antonii Bancherii Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, & Nerei Corsini nostri ex fratre nepotis Sancti Adriani Diaconorum S. R. E. Cardinalium nuncupatorum, & supradictorum Prælatorum, ac dicti Nicolai Jacobatii interessentium in his scriptis ferimus, in Causa, & Causis criminalis Inquisitionis vigore specialium nostrarum Commissionum institutæ, successivè prosequutæ, & ad ultimum finem canonicè, ut præmissum est, perductæ inter Antonium Broggi Fisci, & Cameræ nostræ Apostolicæ Procuratorem Generalem Actorem, & Promotorem ex una, necnon præfatum Cardinalem Nicolaum Coscia Reum conventum inquisitum, procesʃatum, & post reditum à Civitate, & Regno Neapolitano, quò confugerat, & ad hanc Almam Urbem nostram in Monasterio Sanctæ Praxedis spontè, & sub nostra libera dispositione hospitio exceptum, in eoque deindè vigore nostri pœnalis præcepti detentum, ut prænarravimus, partibus ex altera, dè & supèr quampluribus criminibus, & delictis in Processibus deductis, & potissimùm = *Illicitis, damnatisque lucris = nonnullis effectivis extorsionibus =, ac aliis intentatis, mediisque concussionibus ad extorquendas pecunias commissis = execrabilibus acceptionibus rerum, & pecuniarum per Apostolicas Prædecessorum nostrorum Constitutiones vetitis, atque damnatis, pro gratia, vel justitia apud Sedem Apostolicam à Dantibus consequenda = falsitatibus in Rescriptis supplicum Libellorum ex vitio avaritiæ, & ad lucrum captandum commissis, non sine gravi abusu familiaritatis, & ministerii, quibus, ut prænarratum est, tùnc temporis fruebatur penès Prædecessorem nostrum,*

strum, perpetratis ; necnon deceptionibus ejusdem Supremi Principis, ejusque in ipsum Cardinalem fiduciæ violatione in aliorum damnum, & præjudicium pari avaritiæ spiritu infideliter commissis ;. Quæ omnia, & alia hujuscemodi perpetrata ab eodem Cardinali fuerunt, ad comparandas pecunias, divitiasque colligendas, proût paucorum annorum cursu multa centena millia scutorum congessit, ex quibus summam supra quatuor centena millia ducatorum monetæ Regni vertit, & erogavit in feudorum emptionem in Regione illa existentium, necnon etiam dè & supèr *maledicentiis, & injuriis publicè, prout dictum est, evulgatis in odium Justitiæ in eum pro admissis criminibus exercitæ ; inobedientia, & contemptu ergà Nos, nostraque Apostolica mandata ;*, quodque excipi sine horrore non potest ; *deformissimo ingrati, & irreverentis animi vitio ergà Benedictum Tertiumdecimum suum eximium benefactorem ;*, à quo ab infimo ad eminentem gradum, & statum evectus fuit, aliisque criminibus, & delictis sub indicatis speciebus comprehensis pleniùs in Processu Causæ deductis, & signantèr, ex quò natura pronus ad indulgendum avaritiæ suæ, neglectis Prædecessorum nostrorum Apostolicis Constitutionibus prohibentibus sub Ecclesiasticis Censuris quascumque dationes, pactiones, vel promissiones pro gratia, vel justitia apud Sanctam Sedem consequenda, pluriès, atque pluriès in illas incidere non formidavit, & præcæteris, cùm, spræta quoque lege Constitutionis felicis recordationis Pii Papæ V. contra ambientes, & pro eis procurantes dignitates, & officia Jurisdictionis administrationem habentia, pactum constituit cum Nicolao Nigrono tùnc temporis Cameræ nostræ Apostolicæ Clerico dè illius procurando ascensu ad Officium Thesaurarii Generalis, scutis vigintimille, eo intuitu datis, & acceptis, in suumque commodum successivè conversis, collatoque postmodùm dicto Nigrono per memoratum Prædecessorem nostrum Benedictum XIII. prædicto Thesaurariatus Officio, ope, & opera præfati Cardinalis Coscia, aliam ipse itidem pecuniarum summam sibi, ut ajebat, promissam ab initio tractatuum consequi studuit, eodemque Nigrono detrectante, adhibitis minis, & comminata illi ab assequuto Officio depositione, extorquere conatus fuit, impiè etiam in suo quodam epistolio, ut hujusmodi pravæ, damnatæque concupiscentiæ vota implerentur, adjutrice Dei manu invocata. Pari etiam spiritu avaritiæ ductus se gerere non erubuit in rebus ad Annonam Frumentariam spectantibus, ex quò præcæteris, cùm dictam

An-

Annonam inter, & Universitatem Pistorum nonnulla agerentur in Congregatione particulari à memorato Benedicto Tertiodecimo Prædecessore nostro deputata, dictus Cardinalis, qui inter electos Judices ibidèm assidebat, imò negociis, & Congregationibus super eadem Annona ad publici Boni tutamen præfectus fuerat, scuta quatuormille sordidè accepit ab eisdem Pistoribus, qui eorum Universitatis jura apud illum ex animo commendabant, quam tamen pecuniarum quantitatem post brevis temporis lapsum, vita functo Benedicto XIII., dictis Pistoribus pro restitutione urgentibus metu perculsus reddidit. Non dissimilia quoque, quinimò graviora perpetravit, cùm pro publicis Conductoribus, seù Appaltatoribus Cammeralibus patrocinium assumens, ingentem pecuniarum summam pro Appaltuum concessione extorquebat, quod præsertim contigit Francisco de Stephanis, qui sub nomine Pauli Montini appaltum obtinuerat Juris privativi fabricandi, & vendendi Saponem, prævia datione in commodum dicti Cardinalis scutorum decemmille, quorum intuitu totis viribus, non sinè deceptione præfati Benedicti XIII. causas ejusdem Appaltatoris tuebatur, Universitate Saponariorum, & Populo hujus nostræ Almæ Urbis contrà dictam privativam exclamante, & perversè utens ministerio à Secretis supplicum Libellorum, ùt præfato Conductori faveret, cùm idem Benedictus XIII. ab Urbe profectus iter Beneventum versùs haberet, ipse autèm Cardinalis Romæ tùnc maneret; exhibito dicto Cardinali die 6. Aprilis anni 1729. Memoriale Papæ directo pro supradicto Appaltatore petente revocationem resolutionis emanatæ in Congregatione Camerali favore memoratæ Universitatis Saponariorum (cui præfatus Benedictus paulò antè discessum ab Urbe, speciali Rescripto concesserat, ùt illius querelæ contrà Appaltatorem expositæ audirentur, & provisiones opportunæ concederentur) Rescriptum supèr dicto Libello, falsò, & cùm abusu auctoritatis in Officio apposuit = *Ex audientia Sanctissimi* = consonum supplicationi Appaltatoris præfati.

8 Quæ omnia, & singula crimina, excessus, & delicta, *concussiones* videlicèt, *extorsiones*, *illicita lucra*, *falsitates*, *deceptiones*, *abusus*, *inobedientias*, *contraventiones*, *contemptus*, *irreverentias*, & *maledicentias* temerè, fraudolentèr, & dolosè commisit, aliaque, ùt prænarravimus (quorum individualem expositionem prætermittendam duximus) perpetravit, pleniùs deducta atque probata in Processibus Causæ & Causarum hujusmodi ad quos &c.

9 Vi-

9 Visis igitur, & consideratis probationibus super præmissis cumulatis, & præsertim Scripturis manu ejusdem Cardinalis confectis; Visis, & consideratis paritèr confessionibus desuper in parte, & partibus per dictum Cardinalem Coscia in suis judicialibus examinibus, & constitutis coram Delegato nostro emissis, & cùm interessentia, & pæsentia quatuor prædictorum Cardinalium, & juxtà formam nostræ Cedulæ Motus proprij signatæ dicta die tertia Iunij proximè præteriti receptis; Visa, atque perpensa scandali gravitate, quod Inquisitus Cardinalis per hæc malè gesta publicè invexit, damnoque ab ipso Innocentium famæ illato, & ruinæ occasione inspecta, quam cæteris, in quos animadvertimus, malo suo exemplo præbuit; Visa Processus publicatione illi facta in executionem nostrarum commissionum; Visis terminis eidem plurièes assignatis ad dicendum contrà propriam confessionem, suasque respectivè faciendas defensiones; Visa quoque prænarrata speciali intimatione cùm termino aliorum triginta dierum contrà eundem exequuta ad exhibenda, & producenda Jura suæ defensionis; Visis atque consideratis iis, quæ quampluribus, & iteratis Allegationibus Juris ad Inquisiti Cardinalis defensionem deducta fuerunt, audita instantia per memoratum Antonium Broggi Procuratorem Fiscalem generalem coràm nobis, & in præsenti Congregatione facta, ut ad causæ conclusionem, definitionemque procedere, ac devenire dignaremur; Visa citatione personalitèr contra dictum Cardinalem de mandato nostro exequuta ad legitimè coràm Nobis in hac ipsa Congregatione comparendum, & audiendam sententiam definitiuam per nos pronunciandam, visisque videndis, & consideratis considerandis, ex hoc justitiæ Solio in Cœlum suspicientes, & solum Deum præ oculis habentes INVOCATO ITERUM DIVINO AUXILIO dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, & definitivè sententiamus constitisse, & constare dictum Cardinalem Coscia fuisse, & esse Reum culpabilem de indicatis, & expositis speciebus, & titulis criminum, juxtà legalia documenta in Processu deducta, & confessiones in parte, & partibus emissas, atque verificatas, plenèque comprobatas, proindèque tanquàm dè jure punibilem condemnandum fore, & esse, proùt præsentis nostræ sententiæ vigore, quam in his scriptis ferimus, illum, firmis, & in suo robore manentibus pœnis incursis, denunciatis, & executis pro enarrato discessu à Statu nostro Ecclesiastico, & non reditu ad Romanam Curiam intrà primum semestre, condemnamus, & pro condemnato

to haberi volumus, & mandamus in pœnam relegationis per decennium in Arce superiori hujus nostri Castri Sancti Angeli, in qua toto dicto decennii tempore detineri, & custodiri debeat ad pœnitentiam dè commissis delictis agendam, ùt in corpore præssus, & corde contritus resurgat ad Justitiam, quæ anteactæ vitæ labem aboleat.

10 Quià verò, ùt præmissum est, intèr exposita crimina dictus Cardinalis incidit in illa, quæ Apostolicis nostrorum Prædecessorum Constitutionibus supèr datis, & promissis, pro gratia, vel justitia consequenda, vetita sunt, atque damnata, sùb excommunicationis majoris latæ sententiæ pœna, ipso facto incurrenda, & in alia quoque incidit, quæ pari excommunicationi, auctoritate, & Potestate nostra Apostolica subjecta fuerant, quæque illi pœnalibus præceptis nostris, ac de mandato nostro per Apostolicos Delegatos mediis executorialibus, & inibitorialibus literis prohibita, & intimata fuerunt, aliaque in læsionem Ecclesiasticæ Jurisdictionis, & Potestatis dolosè gessit, & attentauit contrà Canonum statuta, Conciliorumque, & Apostolicarum Constitutionum decreta? Hinc nos eundem Cardinalem Coscia Reum repertum dè hujusmodi contraventionibus, & delictis, declarandum fore, & esse decernimus, & mandamus, proùt per hanc nostram definitivam sententiam incursum declaramus, & pronunciamus in excommunicationem in dictis Constitutionibus super datis, & promissis &c. præceptisque nostris, & Canonum, Conciliorumque, & Apostolicarum Constitutionum decretis respectivè latam, atque contentam, & à Consortio Fidelium proindè separatum; Cui excommunicationi, à qua à nemine absolvi possit, præterquam in mortis articulo, tamdiù subjacere, & alligatum esse volumus, & mandamus quousque à Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente, beneficium absolutionis effectivè consequutus fuerit. Iniungentes quoque eidem Cardinali Coscia, ut pecunias, & quæcumque sibi data, & accepta contra formam, & præscriptum dictarum Constitutionum super datis, & promissis &c. restituere, antequam absolutionis beneficium obtineat, omninò, & integrè debeat in quantitate per Congregationem deputatam declaranda, cui ad huiusmodi effectum facultates omnes necessarias, & opportunas usque ad integralem, & effectivam restitutionem assequendam concedimus, & impartimur, ità tamen quod, quidquid fuerit de illicitè, ut suprà perceptis restitutum, in pauperum eleemosynas, proùt prælaudatæ Prædecessorum nostrorum Constitutiones decreverunt, vertendum sit, & plenè elargiendum.

11 Præ-

11 Præterea, nè idem Cardinalis Coscia dicta decennali relegatione (incompletè tamen) punitus, aliis illicitis lucris iniquè fruatur, nevè de integro peculio sub hac ratione lætetur, decernimus paritèr, & præsenti nostra sententia mandamus pecuniaria itidem pœna pro commissis criminibus mulctandum fore, & esse, proùt mulctamus in summa, & quantitate ducatorum centummille monetæ Regni, ad effectum tamen eadem ducata centummille in vsùs, & causas pias à nobis decernendas, & declarandas integrè erogandi, pro quorum exactione præfatæ nostræ Congregationi deputatæ Reuerendissimorum Cardinalium committimus, ùt mandata quæcumque necessaria, & opportuna decernat, ad eorumque executionem usque ad ultimam, & plenariam consumationem procedat, & deveniat.

12 Volentes Nos quoque, ut injunctam dicto Cardinali suspensionem ab usu, & exercitio Jurisdictionum spiritualium; & temporalium quarumcumque Abbatiarum, & Beneficiorum habentium curam Animarum, & præsertìm illarum S. Sophiæ, & S. Marci in Lamis, omninò servare debeat, quam suspensionem illi præsentis sententiæ vigore renovamus, & quatenùs opus sit denuò iniungimus; & intimamus sub pœnis in præceptis, & memoratis literis inhibitoriis contentis, firma manente deputatione Administratorum, quos dictis Abbatiis S. Sophiæ, & S. Marci in Lamis dedimus, salvâque aliâ quavis provisione de cæterò, si opus fuerit, & expedire judicabimus, per nos capienda.

13 Denique, cùm consonum sit Juri, & rationi congruum, nè qui dignitatem delinquendo polluit, ejus prærogativis potiatur, propterea, ùt integritati Justitiæ satisfaciamus, & Ecclesiam ab omni scandalo sarctam, tectamque servemus, nè, vitæ nostræ cursu expleto, cùm Deo placuerit (in cujus voluntate acquiescimus) præfatus Cardinalis Coscia, tot, tantisque inquinatus criminibus, & adhùc pœnæ seruituti subjectus præsumere audeat electioni noui Pontificis in Conclavi cum cæteris Cardinalibus interesse, providè, totisque viribus, etiàm dè Potestatis nostræ plenitudine futuro hujusmodi deformi, & scandaloso discrimini occurrere statuimus. Hinc præsenti nostra definitiva Sententia, Justitia etiam sic suadente, decernimus, & declaramus, & adhibita quoque in id dictæ nostræ Potestatis plenitudine, mandamus, memoratum Cardinalem Coscia, durante illo decennio pœnæ relegationis, in quam condemnatus reperitur, suspendendum fore, & esse, prout eum, ex causa commissorum criminum

suspen-